3

DISSERTATIO
DE VINCULO MATRIMONII,

INITI

ANTE BAPTISMUM:

POST ALTERIUS CONJUGIS BAPTISMUM

DISSOLUBILI:

AD THEOLOGUM CONTRARIÆ OPINIONIS

ASSERTOREM, AC VINDICEM.

AUTHORE

JOSEPHO BORRAS.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

FERRARIÆ ANNO 1792.

Ex Typographia Francisci Pomatelli

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

SCRIBENDI OCCASIO, ET CAUSA.

Prodiit nuper Genuae Typis Joannis Baptiſtae Caſſarelli *Reſponſio Epiſtolaris · De Vinculo Matrimonii, ante Baptismum initi, etiam poſt alterius Conjugis Baptismum, omnino indiſſolubili, ad Theologum sententiae contrariae Aſſertorem* : in eaque Cl. ejus Scriptor omni eloquentiae vi, qua sane ille pollet ſingulari, vel ab ipso ejus Epiſtolae initio subruere aggreſſus eſt praecipuum fundamentum, cui innituntur contrariæ sententiae Patroni; et in quo, ut ipse fatetur diserte, totus ferme versatur præſentis difficultatis cardo. Porro fundamentum hoc ſumitur præcipue ex Ep. I. ad Corinth. Cap. 7., ubi Apoſtolus de his Infideli-

Digitized by Google

bus conjugatis loquens , quorum alter ad fidem Catholicam converſus eſt ; alter vero in infidelitate tenaciter perseverat, nec ſine Creatoris injuria cum illo commorari vult; ſed potius ab eo discedere; ita habet : *Si infidelis diſcedit ; discedat* (Fidelis) *; non enim ſervituti ſubjectus est Frater, aut Soror in hujusmodi : in pace autem* (ſive ad pacem, ut exponunt Interpretes) *vocavit Nos Deus* : Quæ quidem verba ſic intelligi volunt Laudati Scriptoris Adverſarii, ut in eisdem facultatem fecerit Paulus Infideli Converso non tantum diſcedendi a cohabitatione Tori ; verum etiam a Vinculo Matrimoniali, ut propterea ipſi Infideli liceat in ejusmodi circumſtantiis ad ſecundas nuptias tranſire. Contra vero sentit Cl. Scriptor, quem ſuperius laudavimus ; ſiquidem exiſtimat ille Apoſtolum eo in loco Infideli Converso indulgere, non quidem, ut a vinculo Matrimoniali diſcedat; ſed a Tori cohabitatione dumtaxat; hæc enim ſola eſt, nec vero alia esse poteſt ſervitus illa, a qua Apoſtolus liberum

Digitized by Google

pronunciat infidelem converſum. Verum hæc doctrina, quam multis exornat Scriptor ille (ne quid amplius dicam) falsa omnino eſt, et a veritate penitus aliena. Quod ut ego demonſtrem, inde continuo, ac ſine verborum ambagibus adverſus illam argumentandi ducam initium, unde ipſe oppugnare aggreſſus eſt adversæ ſententiæ fundamenta.

Digitized by Google

PRIMUM ITAQUE ARGUMENTUM ITA HABET.

Paulus I. ad Corinth. cap. 7. diserte docet: Christianos Tyrones, a Consorte infideli odio Religionis desertos, ac male habitos, liberos esse a servitute: hæc sunt ejus verba: *Si infidelis discedit; discedat* (Fidelis); *non enim servituti subjectus est Frater, aut Soror in hujusmodi etc.* At Paulus per discessum a servitute, quem eo in loco, ac circumstantiis Christianis Tyronibus indulsit, non intellexit modo separationem Tori, ac Convictus; sed et vinculi Matrimonialis dissolutionem; quinimo hoc secundum præ illo primo intellexit: Videlicet per discessum a *servitute*, absolute, et sine restrictione dicta, intellexit discessum ab omni eo, quod in conjugio veram rationem, seu speciem servitutis habet: hanc autem speciem, et rationem servitutis non

Digitized by Google

habet dumtaxat necessitas Tori, et convictus; ut frustra contendit Adversarius, verum etiam, et præcipue quidem Vinculi Matrimonialis nexus, hujus enim vi ita sunt Conjuges inter se adstricti, ut nequeant ab eodem pro arbitratu suo dissolvi, neque ad alias nuptias pertranſire: in quo sane apertissima est servitutis species: nec vero qualiscumque; sed quæ naturæ Matrimonii respondet, ex se scilicet perpetua, et inabdicabilis, ut Apost. 2. Corinth. cap. 5. v. 14. dixerit: Matrimonium quoddam esse *jugum*: et Chrysostomus de Virginitate n. 28: *Omnium durissimam servitutem servire eos, qui Conjugii nexibus vincti sunt*. Insuper vi nexus Matrimonialis Corpus Uxoris sub viri potestate est; ac vicissim Corpus viri sub potestate est Uxoris: Quis autem in mutua hac Uxoris, ac Viri subjectione aperte non videat servitutem quamdam tum Viri comparate ad Uxorem, tum Uxoris comparate ad Virum? Denique vox illa servitus qua utitur Apostolus ad denotandam servitutem,

Digitized by Google

a qua ipse immunem pronunciat Infidelem conjugatum, recens Conversum, capax est utriusque illius servitutis significandæ; stantis scilicet et in nexu conjugali; et in necessitate Tori, atque convictus: nec vero aliunde est aliqua ratio, cur ad unam illarum significandam restringatur, potius quam ad alteram; cum eadem Vox a Paulo generaliter, et absque limitatione expressa sit: Vtramque igitur servitutem vox illa litteraliter significabit; ut qui eam ad singularem aliquam illarum servitutem significandam, restringat, alia penitus exclusa, a litterali ejusdem vocis sensu procul abscedat. Hæc sane mihi gravissima sunt, ac ferme invicte demonstrativa. Ad alia igitur veniamus.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Innocentius III. cap. *Quanto de Divortiis*, nè dum prædictum Pauli testimonium in nostro sen-

Digitized by Google

su, quem nuper diximus, exposuit; sed quod magis est, doctrinam ipsam, a Nobis assertam, diserte declaravit, ac definivit; sic enim inquit in loco præcitato: *Si alter Infidelium conjugum ad Fidem Catholicam convertatur; altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini Nominis, ei cohabitare volente: Qui relinquitur ad secunda Vota, si voluerit, transibit*, et in *hoc casu intelligimus, quod ait Apoſtolus. Si infidelis discedit; discedat* (Fidelis); *non enim servituti subjectus est Frater, aut Soror in hujusmodi:* quibus in verbis Innocentius apertissime ostendit: *Per discessum a servitute*, loqui eum non de discessu a Servitute quavis; sed de discessu a servitute nexus conjugalis, sine quo discessu (fatentibus cunctis) Infidelis conversus ad secunda Vota transire minime posset: quod tamen ipse Pontifex Infideli converso permittit in hypotesi præsentis Controversiæ. Porro hæc omnia adeo certa sunt, ut Sanchez, qui in dirimendis circa Matrimoninm quæstionibus jure Princeps ingenii,

Digitized by Google

et doctrinæ ante alios habendus est ; dicere non dubitaverit : Assertum, a me stabilitum, sine manifesto errore in fide vocari in dubium non posse. Scio Ego duo hic reponere Adversarium: Alterum est Innocentium III. nullam penitus traditionem pro ejus declaratione adduxisse: Hæc tamen responsio futilis plane est, ac nullius momenti : siquidem innumeræ prope sunt tum Pontificum, tum Conciliorum definitiones, et Canones, pro quibus nulla omnino ab eisdem adducitur traditio : et tamen fides ipsis absque magno piaculo negari non potest. Et sane (ut alia prætermittam) quid necesse erat, cur Innocentius III. in re nostra traditionem adferret pro ejus declaratione, cum pro eadem ipse attulerit Scripturas, earumque sensum veluti Pontifex declaraverit, ac proposuerit Ecclesiæ? nempe per verba illa: *Et in hoc sensu intelligimus, quod ait Apoſtolus : Si Infidelis discedit, discedat* (Fidelis); *non enim servituti subjectus est Frater, aut Soror in hujusmodi*. An forsan existimandum eſt majo-

Digitized by Google

rem deberi traditioni fidem, quam Scripturis sacris, vel tunc etiam cum earum sensus Ecclesiæ judicio Nobis applicatus fuit? Alterum, quod reponit Adversarius, ita habet: Innocentium III. corruptis Gratiani tabulis, falsisque Testibus fidem adhibuisse, atque ab eisdem fuisse deceptum. Verum id responsum levissimum est, atque ut ego existimo, Viro theologo minime dignum: quin-imo eodem (si tamen ipso uti liceret) omnes omnino Pontificum definitiones, ac Conciliorum Canones facillime eludi possent: eo scilicet prætextu, sive colore: quod iidem falsis informationibus, mendacibus Conciliariis, theologis imperitis, malignisque assentatoribus fidem adhibuissent, atque ab ipsis fuissent decepti. Hoc autem responsum quis æquo animo ferat?

Digitized by Google

TERTIUM ARGUMENTUM.

Praxis Eccleſiæ Catholicæ hæc eſt: ut Infideles, Novitii in fide, a Conſorte infideli odio Religionis deſerti, ac male habiti ad ſecundas Nuptias admittantur (ſcilicet ubi ipſi ea prius præſtiterint, quæ eiſdem ab Eccleſia aliunde præſcripta ſunt) Quid igitur? Reponetur fortaſſe Eccleſiam in his caſibus approbare veluti validum Conjugium, natura ſua irritum? Vel potius merum concubiuatum, tanquam verum Matrimonii Sacramentum, ratum habere? Profecto ſi res ita ſe habeat; quonam pacto ſtabit, quod jam diu clamabat Auguſtinus: *Eccleſia Catholica multa quidem tolerat; ſed quæ ſunt contra fidem, aut bonos mores, nec tacet, nec approbat.* Jam ergo Infideles, Novitios in fide, a Conſorte infideli odio Religionis deſertos, ac male habitos; ad ſecundas Nuptias admitti ab Eccleſia, id ſane

Digitized by Google

certo certius est: quod Ego recentissimis etiam; ac minime dubiis; nec infrequentibus exemplis probare possem: Satis tamen, superque erit, ut id evincam; si ea hic produxero, quæ Roma hac in re decrevit, et in morem Ecclesiæ induci voluit. Itaque rogata circa præsens dubium Congregatio Concilii, hoc retulit responsum Episcopo sciscitanti sub die 23. Januarii 1602., sicuti videri potest lib. 10. Decretalium Pag. 55. *Sacra Congregatio censuit, ita respondendum: Minime posse prædictos, ad veram fidem Conversos, accipere alias Fideles Uxores, nisi prius constiterit: Utrum primæ* (Uxores) *voluerint cum eis permanere, vel non. Quod si noluerint cohabitare; vel si voluerint, non tamen absque contumelia Creatoris; Vel ut Conversos ad peccatum mortale pertrahant; tunc posse eos alias Fideles accipere Uxores. Si cohabitare absque Creatoris contumelia velint, et absque eo quod Conversos ad peccatum mortale pertrahant; quamvis veram agnoscere fidem noluerint; non posse Con-*

Digitized by Google

versos alias Fideles accipere Uxores. Hanc ipsam Ecclesiæ praxim denuo probavit, Catholicisque ad usum proposuit Benedictus XIV. In Selectis, Constitutione LX. quæ incipit *Postremo mense* §. 58. his verbis: *Si ab Sponsis Christi Fidelibus sponsæ - aut Conjuges ad Lavacrum Sacratissimum offerantur; et Mulier Baptismum respuat; Matrimonium, in Judaismo contractum, omnino solvitur, teste Apostolo ad Corinth. cap. 7. quæ quidem Matrimonii solutio fit, statim ac Judæus, Ecclesiæ gremio admissus; transit ad alias Nuptias*. Eandem doctrinam laudatus Pontifex jam diu comprobaverat, comprovavitque deinceps, cum jam ad Summi Pontificatus apicem evectus, egregium ejus de Synodo Diœcessana opus recussit: nempe lib. 6. de Synodo num. 3. ubi ita loquitur: *Certum est Infidelium Conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concesso. et per Apostolum Paulum prima ad Corinth. cap. 7. promulgato, dissolvi; cum Conjugum alter Christianam fidem amplectitur; renuente*

Digitized by Google

altero, in sua infidelitate obdurato; cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente; sed non sine contumelia Creatoris etc. etc. Itaque cum hæc, non alia, hodie sit, ac olim extiterit universalis Ecclesiæ praxis, ut Infideles ad Fidem conversi ad secundas nuptias prædicto modo admittantur; eademque a Summis Pontificibus ad Fidelium usum proposita fuerit; quin-etiam præcepta, ubi aliquis ejusmodi casus occurrerit; profecto non apparet, quonam pacto eadem rejici, aut reprobari possit, tanquam sanæ doctrinæ, ac bonis moribus contraria: nam ut recte, sapienterque habet Augustinus Epist. LIV. num. 6. *Si quid universa per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare; insolentissimæ insania est.*

Digitized by Google

QUARTUM ARGUMENTUM.

Ecclesia Catholica Fidelibus Conversis ne dum permittit; sed probat etiam, ut Matrimonium cum Fideli contrahant, supersiste adhuc Conjuge Infideli, ut in superiori argumento invicte demonstravimus. Vel igitur Ecelesia illud Matrimonium permittit, seu probat Infidelibus Conversis, tanquam certo validum, vel tanquam validum mere probabiliter, vel denique tanquam omnino nullum; seu potius cum ejus nullitatis cognitione? Si primum? Res pro Nobis confecta est; nec Adversarius asserere consequenter potest: Matrimonii Vinculum, ante Baptismum initi cum Infideli, non dissolvi in casu præsentis controversiæ: alioquin uno, eodemque tempore consisteret, aut consistere saltem posset Matrimonium cum duabus, quod sane dictu absurdissimum est, et Evangelii doctrinæ apertissime adversa-

Digitized by Google

tur. Si secundum? hoc est, si Ecclesia Conjugium illud Infidelibus Conversis permittat, ac probet, tanquam mere probabiliter validum; tunc sane Ecclesia ipsa Infidelibus illis permittet, ac probabit, ut Sacramentum Matrimonii in praxi exponant manifesto nullitatis periculo, et quidem contra sua ipsius decreta, ac definitiones: siquidem Matrimonium quod est, ac censetur tantum probabiliter validum, fieri non aliter potest nisi cum periculo nullitatis; mera enim probabilitas de Matrimonii, atque adeo de hujus Sacramenti valore, certum illi valorem non tribuit, nec vero tribuere potest. Itaque hoc unum hic restat Adversario, nempe ut dicat: Matrimonia illa neque ut certo valida, neque ut valida probabiliter permitti, aut probari ab Ecclesia. Atque id profecto conforme omnino est doctrinæ, quam ipse tuetur sub Pag. 66. ejus Epistolaris responsionis, ubi disertissime affirmat, sententiam, ei contrariam, probabilem non esse; idque ab ipso demonstrari: quod sane dictum quam audax, et

Digitized by Google

absonum sit; nemo non videt: quin-imo in necessitate judicium ferendi de improbabilitate alterutrius ex his opinionibus; affirmandum potius cuivis Catholico erat, Adversarii opinionem, nedum probabilem non esse; Sed ne umbram quidem probabilitatis habere: Et vero quam speciem veræ probabilitatis habere potest opinio illa, quæ, prætermissis aliis, contra certam, ac indubitatam Ecclesiæ praxim; ab eaque præscriptam, probatam, ac præceptam in usum universalem Fidelium; asserere, ac tueri audet, quod huic ipsi probatæ, præscriptæ, et præceptæ Ecclesiæ praxi adversatur? Sed satis de his: Unum tamen hic obiter non possum non admonere Adversarium, quo ipse cautior deinde fiat in definienda probabilitate opinionum, earum præsertim, quæ propriæ sunt: quæ quidem ob nimiam, quam homines de ipsorum judicio existimationem habere solent; haud infrequenter eos in absurdissimos, atque enormissimos errores impellunt. Inde inquit Paulus Segneri, quem nemo

Digitized by Google

sane negaverit Sapientissimis Theologis in re morali adnumerandum fore; nihil fortasse magis difficile, nihil magis arduum, nihil denique magis laboriosum in tota, quantum late patet theolologia moralis quam definitio judicii de opinionum probabilitate, ejusdemque gradibus: neque id proinde fieri posse, aut debere nisi a doctissimis, ac Summis Viris. Item contra Principium, sive rationem certam (qualis profecto est Universalis Ecclesiæ praxis, ac sententia de valore Matrimonii, initi ab Infideli, recens converso cum Fideli (nullam esse posse veram probabilitatem : siquidem vera probabilitas est: judicium prudens: prudens autem non est, nec vero esse potest judicium adversus Principium, seu rationem certam. Hæc si Adversarius præ oculis habuisset; numquam, ac nusquam ita libere effatum illud pronuntiasset: nempe sententiam, quam Ego tueor cum plerisque Catholicis, probabilem non esse; suam vero ab ipso demonstrari. Denique: si Ecclesia permittit, ac pro-

Digitized by Google

bat conjugia illa Infidelibus Conversis tanquam invalida, vel potius cum eorum nullitatis cognitione? Dici ab Adversario necesse erit: Ecclesiam ipsam Fideles decipere, eisdemque illudere: Uno verbo: ipsis veluti Sacramenta Fidei nostræ proponere, ac miniſtrare, quæ nec talia in se sunt; nec ab ipsa talia existimantur: quæ sane duo summam irrogant Ecclesiæ injuriam, intolerabilia sunt, quin-etiam ab homine Catholico penitus aliena.

QUINTUM,

AC ULTIMUM ARGUMENTUM.

A quo tempore, præsens hæc quæstio Apostoli verbis innixa, agitari cepta est Theologi omnes ex doctrina SS. Patrum, ex Sum. Ponti-

Digitized by Google

ficum definitionibus', ex mente denique Sacrorum Interpretum sententiam nostram unanimi consensu amplexati sunt: nec ullus extitit deinceps alicujus saltem notæ, aç nominis theologus, qui oppositum tueretur, ut Gregorius de Valencia, Vir sane doctissimus, atque accuratissimus, ducentis ab hinc annis Tom. 4. Tractatu de Matrimonio disp. 10. q. pmā Puncto 7. diserte dixerit: *Neque ullus vel Catholicus, vel Hereticus de hoc dubitat*: videlicet de validitate Matrimonii, ab infideli converso initi, cum Fideli, superstite adhuc ejus antiqua Uxore. Cujus effati argumentum est etiam, nec quidem leve, quod Ego ex ipso Adversario deprompsi: cum enim ille hoc totum authoritatis pondus adversus se præsensisset; ne forte fateri cogeretur, ejus opinionem, utpote universali theologorum sensui contrariam, singularem plane fore, neque temeritatis notam effugere, nullum non lapidem movit, ut consensum hunc universalem obscuraret. Inde si quos ille inter Antiquos nonnihil

Digitized by Google

in speciem dissentientes circa præsens institutum reperit; hoc solo titulo veteres secum ipsis pugnare absque hæsitatione pronunciat, neque propterea illos in re nostra universali consensione unum, idemque sensisse: in quo sane ipse inmane quantum deceptus est: tum quia etsi non-nemo a cæteris omnibus dissentiat; non id universalem theologorum consensum tollit; alioquin nihil prorsus nobis ex unanimi illorum consensione conſtare umquam posset: Siquidem nihil adeo certum inter homines est, a quo unus aliquis ob ejus ingenii aut tarditatem, aut imperitiam, aut arrogantiam, aut temeritatem, aut nimiam sui confidentiam, aut tandem ob novitatis desiderium ab aliis non discrepet: tum etiam quia si res attente introspiciatur, nunquam, ac nusquam dubitarunt Veteres in re nostra quoad substantiam; sed quoad circumstantias dumtaxat, quarum multæ in controversia olim fuerunt; hodieque etiam sunt. Quod vero ad rei substantiam attinet, omnes omnino semper, ac ubique

Digitized by Google

uno ore locuti fuerunt : qua de re indubitatam Nobis fidem faciunt incorruptissimi veritatis testes, atque occulatissimi totius Antiquitatis indagatores D. Thomas, Suarez, Cajetanus, Alapide, Valentia, Bellarminus, Vazquez, Basilius Poncius, Sanchez, Gotti, Benedictus XIV. etc. etc. etc. quorum authoritas, eruditio, ac judicii maturitas adeo usque supereminent Scriptores, a quibus Adversarius suæ Epistolaris responsionis doctrinas hausit; *quantum lenta solent inter Viburna Cupressi*. Porro Scriptores, a quibus Adversarius doctrinas hausit, suppressis studio, ac data opera eorundem nominibus, ne quis ipsorum Epistolaris suæ Responsionis gloriolam (si quæ illa est) e manibus præriperet; hi certissime, non alii fuerunt quam Klubfel, Gervasi, Rosbek, Riegger, Eybel, ac Petrus Tamburini: quorum sane Scriptorum quænam ratio habenda sit in Dogmaticis, si quis scire desideret; inde poterit facillime intelligere, quod plurium illorum Scripta, aut ex toto, aut magna saltem ex parte

Digitized by Google

a Suprema Romana Sede, ac Regnante Pontifice proscripta fuerint: aliorum vero non nisi novitates sapiant, inter Etherodoxos communes: quas Eybel præcipue ad usum suorum gregalium magna copia expressit ex Magdeburgensibus, Genevinis, Vittembergensibus, aliisque hujus furfuris, atque farinæ Scriptoribus; additis e propio penu innumeris calumniis adversus Ecclesiam Catholicam = At reponit Adversarius: Gervasium paulo antea laudatum, ex testimonio Pauli Sarpii in ejus Trid. historia affirmare: Petrum Soto, et similiter Cayetanum pro sententia, mihi contraria, stetisse. Sed malæ causæ pejus patrocinium: Quis enim Sarpianis illius Historiæ narrationibus fidem adhibeat? Certe Petrus Soto in libro, quem apellavit *De Institutione Sacerdotum*, disertissime tenet communissimam sententiam, quam Ego tueor: et similiter Cajetanus in primam ad Corinth. cap. 7.: atque ea quidem ratione, quod hæc sententia, ut ipse diserte inquit, *antiquo Ecclesiæ usu recepta sit:* et is tex-

Digitized by Google

tus *Si Infidelis discedit, discedat* (Fidelis); *eum sensum patiatur*: quo nempe significatur discessus, non tantum a Toro; sed etiam a vinculo conjugali. Sed neque his quiescit adhuc Adversarius: nam cum in Regia Galliarum Urbe, inquit, paucis ab hinc annis doctus e Sorbonæ Collegio theologus, singulari edita Dissertatione, sententiam, mihi contrariam, in lucem revocasset, nemo unus e Regni illius Episcopis in eam insurrexit. Unde, ut ipse sibi fingit, omnes illius temporis Episcopi eandem sententiam in Galliis amplexati sunt. At nihil proficit Adversarius hac responsione, quæ in præindicata Dissertatione nititur, ac silentio, quod ad ipsius evulgationem servarunt Galliarum Præsules: Tum quia Dissertatio illa,,(ex qua una errorem præsentem hauserunt, qui contra Ecclesiæ doctrinam, et praxim pugnant) ut in Romano librorum prohibitorum Indice apparet, ex Sacræ Congregationis Decreto proscripta fuit 6. Septemb. 1759. Tum quia eadem plane discurrendi forma addu-

Digitized by Google

cere etiam pro se potuisset Adversarius Episcopos, Theologos, ac Canonistas omnes totius universalis Ecclesiæ, et quidem eadem de causa, ob quam Galliarum Episcopos adduxit: cum neque illi in eam Doctoris Sorbonici insurrexerint sententiam. Ut ut istud fuerit: Ego certe longe aliter, atque Adversarius meus hac in re sentio: Videlicet laudatos Galliarum Episcopos ad sententiam illam, denuo a Doctore Sorbonico revocatam, omnino tacuisse, non quidem quod eidem omnes assentirentur (unde enim Adversarius probare poterit Scriptionem illam ad eorum Præsulum, præsertim omnium venisse notitiam?) Sed quod iidem probe existimaverint, nihil omnino damni Gregi suo ex illa dissertatione imminere; utpote aperte falsa, et contra Manifestum totius Ecclesiæ sensum. Neque novum quidem in Ecclesia est, ut ipsa aliquando ad errores, denuo excitatos, altum sileat: non quod eadem eos probet; sed quod de illorum falsitare satis aliunde constet, neque mali quidpiam

Digitized by Google

ab iisdem recenter timeri possit. Hæc igitur cum ita sint; ab aliis supersedeo, quæ facillime hic, ac nullo ferme negotio super-addi possent: Non enim argumentorum vis in eorum numero, sed in ipsorum pondere, atque efficacia posita est.

Ne autem quispiam de me conqueratur, quasi vero ipse contrariæ sententiæ fundamenta ultro prætermiserim; ea hic summatim subnecto, quibus eadem præcipue innititur; Et I. Paulus I. Corinth. cap. 7. versu 27, generatim docet: Alligatum Uxori non debere, neque adeo posse, solutionem quærere vinculi Matrimonialis, nam illimitate inquit: *Alligatus es Uxori? noli quærere solutionem*. Deinde sub versu 39. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus; liberata est; cui vult nubat*: Similem doctrinam tradit Christus Dominus Lucæ 16. versu 18., ubi ita loquitur: *Omnis, qui dimittit Uxorem suam, et alteram ducit; mæchatur, et qui dimissam a Viro suo, ducit; mæ-*

Digitized by Google

chatur. Denique ipse Christus Marci 10. Vers; 9. sic habet de Conjugatis: *Quod Deus conjunxit; homo non separet*. Verum iis, in quibus Adversarii magnam vim faciunt, nihil omnino pro sententia, mihi contraria, conficitur: atque istud quidem facile cuivis patebit, si, ut par est, ea fiat distinctio, quam Paulus facit, inter matrimonium Fidelium, et Infidelium: de quibus singulis longe aliter ipse loquutus est. Itaque I. ad Corinth. cap. 7. v. 10. loquens Paulus de Matrimoniis Fidelium, inquit: *Esse præceptum Domini Uxorem a Viro non discedere; discedentem autem debere innuptam remanere, aut Viro suo reconciliari*. Contra vero sub v. 15. loquens de Matrimonio Infidelis conversi, cui pacifice cohabitare recusat Uxor infidelis, inquit: *posse eum ab illa discedente, discedere:* et quidem absolute; hoc est nullo eidem adjuncto vinculo innuptum remanendi; sicut id prius adjunxit, cum de Matrimoniis Fidelium loqueretur. Jam igitur Christus, et Apostolus in citatis textibus de solo Matrimo-

Digitized by Google

nio Fidelium locuti fuerunt; non vero Infidelium; atque eodem in sensu intelligendus Chrisostomus est, cum indicatis prædictis nuper Scriptùris, affirmat Uxori in morte Mariti tantum; et marito in morte tantum Uxoris licere transitum ad secundas nuptias, De cætero non contendimus Nos in discessu Infidelis, recenter conversi, ab Uxore Infideli, eorum separationem fieri ab homine; sed a Deo; non enim dissolutio illius Matrimonii fit humana authoritate; sed potius divina, nempe ex privilegio Christi, id in favorem fidei concedentis, ut habetur ex Apostolo, ita, et non aliter intellecto ab Ecclesia = Minus adhuc Nos premunt, quæ hic in nostram sententiam congeruntur ex Tertulliano in eam Christi sententiam *Quod Deus conjunxit; homo non separet:* quæ quidem verba ipse sic interpretatur: *solus ille separabit, qui et conjunxit: separabit autem non per duritiam repudii, quam exprobrat, et compescit; Sed per debitum mortis:* siquidem in his Tertullianus, aut loquutus solum

Digitized by Google

fuit de Conjugatis Fidelibus, aut humanitus deceptus est. Verum nullibi docet Scriptura Sacra, replicat Tertullianus, imo neque Scriptor ullus probatæ fidei hactenus ostendit, Neophitis Christianæ Religionis concessum fuisse privilegium, quod Nos contendimus: quin imo Veteres Christiani, inquit (discedente conjuge infideli) a nuptiis cum alio celebrandis semper abhorruerunt : nec forte aliquod ejusmodi exemplum in tota retro antiquitate christiana reperietur. Hæc vero quæ isthic objiciuntur, quoad duo priora capita, falsa omnino sunt: tum quia Apostolus Canonice scribens, apertissime Nos de illo Neophitorum privilegio edocuit, quod deinceps declaratum, ac definitum fuit ab Innocentio III; expressum a Romanis Congregationibus,ac denique universalis Ecclesiæ praxi probatum, et canonizatum : Tum quia D. Thomas, Suarez, Cajetanus, Alapide, Valencia, Bellarminus, Vazquez, Poncius, Sanchez, Gotti, Benedlctus XIV. etc. etc. etc. probatissimæ fidei Scriptores fuerunt; et tamen affir-

mant iidem , illud Neophitorum privilegium esse certum,certissimum, indubitatum, neque salva fide negari id posse. Quoad reliqua autem, quæ ad hujus argumenti calcem super adduntur: Veteres nempe Christianos, (discedente Conjuge infideli) a nuptiis cum alio celebrandis, semper abhorruisse; istud quidem fuit verissimum, donec in antiqua Ecclesia mos ille, et consuetudo viguit, ut Infideles, recens conversi, priores Conjuges retinerent ob spem de ipsarum rescipiscentia, et conversione ad fidem, quod sane ita usu fiebat in Ecclesia ante Tertulliani tempora: At post Tertullianum, id (quod profecto ad disciplinam dumtaxat, non ad dogma spectabat) tantisper variari cæptum est: cum enim experimento fuisset compertum, cohabitationem Conjugis Infidelis cum Fideli, non alium frequenter habere, atque assequi fructum, præter subversionem recens conversi; æquum existimavit Ecclesia ipsa, ut Novitii in fide Infideles Conjuges a se depellerent, ab eis discederent simpliciter, ut scholæ loquuntur, atque reassumpto usu juris, quod hac-

Digitized by Google

tenus habuerant (quamvis Ecclesiæ legibus ligatum, ac impeditum) ad secundas nuptias libere, ac pro arbitratu suo transirent: quod sane ita re, et facto ab eo tempore peractum est, ut propterea Cajetanus in primam ad Corinth. Cap. 7. sententiam, quam ego tueor, amplexatus sit ea ratione, ut ipse diserte inquit: *Quod antiquo Ecclesiæ usu recepta sit*. Ut vero hæc, quæ ad variationem disciplinæ Ecclesiasticæ spectant in re nostra, magis patefiant; nonnulla hic summatim adjiciam quæ fusius narrantur a gravissimis Doctoribus; e quibus Basilius Poncius de Matrimonio lib. 7. cap. 48. ita habet: Primis Ecclesiæ temporibus cohabitatio Fidelis cum Infideli non solum fuit licita; sed etiam præcepta: sic Tertullianus sæculo II., et III. libro ad Uxorem.

Sæculo IV. id ipsum tenuerunt aliqui Ecclesiæ PP. illi Apostolico textui inixi: *Ego dico, non Dominus: Si quis Frater Uxorem habet Infidelem, et hæc consentit habitare cum illo; non dimittat illam*: quibus verbis Paulus promulgavit legem, non quidem Divinam; sed mere Ecclesiasticam, ideoque

Digitized by Google

inquit ipse: *Ego dico, non Dominus: legem inquam Ecclesiasticam,* ab Apostolis constitutam, et pro opportunitate temporis servandam.

Sæculo V. optio data fuit a Patribus Affricanis, quos inter erat Augustinus, ut Conjux Fidelis cohabitaret, si vellet; vel non cohabitaret cum Conjuge infideli, ut plane constat ex Jure Canonico causa 28. q. 1.

Sæculo VII. id ipsum tenentes Patres Hispani, et Galli in magna Synodo Toletana IV. Can. 62., et 63.; lege sanxerunt: ut Judæus ad Fidem conversus; a Conjuge Infideli separaretur ob periculum, quod in ea cohabitatione depræhenderant.

Sæculo XIII. ita scribebat D. Thomas in 4. Distinct. 39.: *Pari* passu ambulant nunc utrique, scilicet Gentiles, et Judæi, quia utrique obstinati sunt: et ideo nisi Uxor Infidelis converti velit; non permittitur ei cohabitare, sive sit Gentilis, sive sit Judæus.

Sæculo XVI. Gregorius XIII. dispensavit circa

Digitized by Google

monitionem, faciendam Conjugi Infideli, si propter distantiam moneri non posset. Hæc Poncius

Sæcuio autem currente Benedictus XIV. Constit. *In Suprema*, statuit ut Conjux Fidelis teneatur quidem admonere Infidelem: num velit cohabitare absque contumelia Creatoris: *et sine ista admonitione Fidelis non potest ad secunda Vota transire*.

Jam hic mihi animus erat dissertationis meæ finem faciendi: Unum tamen præterire tacitus nullo modo possum, quod memoria exciderat: celebre scilicet Effatum Synodi Meldensis, quo postea usus est Innocentius III. in Cap. 8. De Divortiis: *Crimina in Baptismo solvuntur; non Conjugia*. Sed ut verum fatear, Effatum hoc intactam relinquit præsentis Controversiæ difficultatem: quippe Conjugium, in infidelitate contractum, non solvitur in Baptismo ipso, neque per Baptismum Infidelis Conversi; Sed cum post Baptismum receptum (recusante Infideli Uxore cum illo cohabitare pacifice) ipse deinde matri-

Digitized by Google

monium contrahit cum Fideli: eo fere modo; quo Matrimonium Ratum Fidelium solvitur per ipsam ipsissimam Professionem Religiosam, (quæ Matrimonium quoddam spirituale est) non vero antea per aliquem ex actibus, qui eam præcedunt. Sic istud diserte declaravit tum Congregatio Concilii; tum Benedictus XIV. ut constat ex 3. Argumento: ubi laudatus Pontifex ita loquebatur: *Matrimonii solutio fit, statim ac Judæus, Ecclesiæ gremio admissus, transit ad alias Nuptias*. Hæc pro re nostra plusquam satis: cætera, quæ adnecti hic fusius possent, in superioribus contineri plane videntur. Itaque ne cui videar actum agere, ab eis supersedeo, finemque scribendi facio.

Digitized by Google

Die 8. *Martji* 1792.

IMPRIMATUR

Fr. F. Rubini Provicarius S. Oſſ. Ferrariæ.

Die 18. *Maji* 1792.

IMPRIMATUR

I. Præpoſitus Prampolini Provicarius Geñlis.

Digitized by Google